

quantumcumque supernaturales sint multiplicatæ, et angelicæ sint unitæ.

XXIV. In alia autem sententia, quod species infusæ repræsentantes res naturales, verbi gratia, hominem, vel equum, sint pure naturales, dicimus, quod sunt clariores, et certiores species animæ Christi, non quia plures rationes repræsentent in objecto, quam species angelicæ, sed quia quamlibet rationem intensius, et efficacius repræsentant: in ipsa enim quidditativa cognitione rerum naturalium datur latitudo, sicut patet, quod Angelus superior clarius, et perfectius comprehendit lapidem, quam Angelus inferior; et sic non est tantum unicus modus repræsentandi quidditative, et comprehensive rem, et ita potest Christus Dominus habere species, quæ quidem non tam multa uniant, sicut species angelicæ, sed tamen illud quod quælibet species repræsentat, intensius repræsentent. Sicut lux solis perfecte illuminat parietem, si autem auferatur illa lux non plura, quæ antea erant occulta manifestabit, sed illa clarius.

XXV. Quod autem dicitur de universalitate speciei angelicæ, quæ continet ea, quæ sunt dispersa in inferioribus, respondetur, quod continet dispersa in inferioribus ex parte objecti repræsentati, non tamen ex parte modi clarioris repræsentandi, quia speciebus inferioribus divisis, et multiplicatis, potest Deus sic augmentare claritatem repræsentationis, quod respectu sui objecti unaquæque excedat in intensione modum claritatis Angeli, licet in universalitate, et extensione lumen angelicum sit altius, et immaterialius. Et præterea refunditur nova claritas illis speciebus ex eo quod Deus per specialem repræsentationem manifestat futuritatem rerum, et ordinem ad causas occul-

tissimas, ex quibus redundat major claritas in naturalibus objectis repræsentatis, quam in tota continentia universaliori specierum angelicarum, quæ ad ista occulta, et incerta cognoscenda pervenire non potest.

## DE TERTIA DIFFICULTATE.

XXVI. Ad tertiam difficultatem respondetur, quod sicut species infusæ animæ Christi ex suo genere non exigunt discursum, licet illum permittant, ita neque compositionem, et divisionem. Ad excludendam autem compositionem et divisionem, non est necesse excludere multiplicatam specierum, sed collationem, et comparisonem; ex eo enim datur compositio in nobis, non quia per plures species, vel objecta earum comparamus, et faciendo comparisonem, cognoscimus convenientiam, vel disconvenientiam unius ad aliud. Si autem pluribus speciebus intellectus utatur, nullam faciendo comparisonem, aut collationem, sed simplici inspectione, et apprehensione formando conceptum ex illis, nullo modo dicitur componere; ut patet quando per primam apprehensionem formamus terminum complexum, ut homo albus, ex specie albedinis et hominis, ubi tamen nondum datur compositio, quæ est secunda operatio, quia deest comparatio. Et similiter quando Angelus per speciem naturalem cognoscit hominem, et deinde per speciem supernaturalem cognoscit ipsum habere gratiam, vel aliquam perfectionem supernaturalem, tum necesse est, quod utatur nova specie supernaturali, si cognoscit gratiam clare, et evidenter, quia sola species naturalis hominis non sufficit illam repræsentare, et tamen non facit compositionem. Ergo non

sufficit, quod utatur intellectus pluribus speciebus ad hoc, quod dicatur componere, aut dividere, sed ulterius requiritur collatio, et comparatio unius ad aliud.

XXVII. Unde dicit optime D. Thomas in quæstione xvi de malo, articulo vi ad primum, secundo loco positum, quod ratio quare simplex intellectus Angeli non componit, aut dividit est, quia dispositio subjecti est principium cognoscendi inhærentiam prædicati ad ipsum; quandocumque ergo in ipsa dispositione subjecti, sive per unicam, sive per plures species cognoscitur convenientia prædicati ad ipsum, compositio non est. Si vero in ipsa dispositione subjecti non videatur convenientia prædicati, sed indigeat collatione, et comparisone utriusque, tunc erit compositio, aut divisio; talis autem comparatio non consistit in solo simplici usu plurium specierum, et simplici inspectione objectorum. Quare licet scientia infusa non habeat species magis divisas, et multiplicatas, quam Angeli, ex duplici tamen capite non indiget compositione uti. Primo, quia cum sint species exemplatæ ab ideis divinis, licet unaquæque non repræsentet nisi unicam specificam naturam (ut dicit sanctus doctor articulo sexto hujus quæstionis) tamen repræsentantur omnia prædicata, et omnia singularia talis naturæ, quæ illi conveniunt, sive a Deo auctore naturali, sive supernaturali; unde ad cognoscenda talia prædicata non indiget compositione talis speciei.

XXVIII. Secundo, non format compositionem, etiam si pluribus speciebus utatur, quia utitur illis ut conjunctis sine collatione, et comparisonem, sed simplici inspectione utriusque quidditatis; unaquæque enim species ita clare, et evidenter

repræsentat suum objectum, et quemcumque ordinem, vel coordinationem, quam habet cum alia, ut sola simplici inspectione utriusque speciei videatur convenientia, vel disconvenientia unius ad aliud, sine hoc quod per comparisonem, vel collationem eliciatur, sicut in simplici apprehensione conjunguntur objecta, quando facimus terminum complexum. Et hac etiam ratione, licet Angelus neget unum objectum repræsentatum per unam speciem, de alio objecto repræsentato per aliam, verbi gratia, homo non est lapis, non tamen dicitur dividere, aut componere, quia divisio non est quæcumque separatio, aut negatio unius de alio, sed separatio collativa, et comparativa, quatenus ex ipsa comparisonem objectorum elicitur disconvenientia, et negatio unius de alio.

XXIX. Cæterum sicut potest anima Christi uti discursu in hac scientia infusa, utendo speciebus illis non in tota sua adæquatione, qua simpliciter quidditatem, et naturam rei repræsentat, ut est in se, sed inadæquate ex parte, qua repræsentant unum deduci per collationem, et connexionem cum altero; ita potest formare compositionem, aut divisionem utendo pluribus speciebus, non ut simpliciter, et absolute repræsentant, sed ut repræsentant rem aliquam inadæquate, et præcise quatenus comparabilem cum alia, et ex vi comparisonis unibilem, vel separabilem ab alia, quod est repræsentare cum compositione, aut divisione.

## ARTICULUS III.

*Utrum scientia infusa distinguatur per plures habitus?*

I. Vazquez super hanc quæstionem, disp. xxxiv, cap. ii, existimat

de mente S. Thomæ, præsertim articulo sexto hujus quæstionis, in scientia infusa non esse ponendum aliud lumen præter ipsas species, quæ simul cum intellectu eliciant cognitionem circa sua objecta sine alio lumine, quod vocamus habitum, quasi virtutem intellectui superadditam, atque ita quando S. Thomas docet hanc scientiam esse divisam per distinctos habitus, id verificari ratione plurium specierum, quæ ad hanc scientiam Christo infunduntur.

II. Hanc sententiam esse probabilem asserit magister Medina hic, qui etiam dicit hanc eandem ab aliquibus auctoribus Thomistis esse approbatam, qui in scientiis non distinguebant habitum scientiæ ab ipsis speciebus ordinatis; de quo videri potest Soncinas vi met. quæst. ix, et Cajetanus 1-2, quæst. lrv, art. iv.

III. Præcipuum hujus sententiæ fundamentum desumitur ex ratione S. Thomæ in articulo sexto hujus quæstionis, qua utitur ad probandum, quod hæc scientia sit distincta per plures habitus; facit enim hanc consequentiam: In Christo sunt species minus universales, quam in Angelis; sed ex hoc dantur diversi habitus scientiarum, quia sunt diversa genera scibilium; ergo scientia indita animæ Christi distincta est secundum diversos habitus. Hæc autem consequentia nullam habet vim, si procedit de qualitate, vel lumine a speciebus distincto, quia unum lumen, et unus habitus habet multas species coordinatas, quibus utitur: ergo ex multiplicatione earum in majori numero, et minori universalitate, quam in Angelis, non infertur diversitas, et multiplicatio in habitu, qui est lumen. Si ergo D. Thomas infert diversitatem, ideo est, quia existimat non distingui habitum scientiæ a speciebus coordinatis.

IV. Alio fundamento utitur Vazquez, quod deducit ex traditis ab ipso prima parte, disp. XLIII, a capite septimo, scilicet, quod in visione beatifica non requiritur divina essentia loco speciei impressæ, et lumen ex parte potentiæ tamquam virtus intellectus, sed alterum istorum superfluit; sufficit enim species in intellectu ad eliciendam visionem, aut lumen ipsum, quod confortet intellectum. Et quod in scientia infusa sufficiat intellectus cum specie repræsentativa sine alio lumine, ex eo probat, quia in cognitione scientiæ infusæ tantum est ratio cognitionis quasi generica, et ratio talis cognitionis, scilicet quod sit cognitio talis objecti propria, et evidens: quoad primum sufficiens principium est ipse intellectus, omni alio habitu, seu lumine remoto, eo quod in tantum aliquid dicitur cognitio, seu notitia in quantum est ab intellectu; esse ergo ab intellectu est sufficiens ratio, et principium cognitionis, ut cognitio est. Quoad secundum autem sufficit species propria illius rei, et ideo intelligit quidditative, et evidenter, quia habet propriam, et quidditativam speciem illius; ergo nulla est ratio cur ponamus aliud lumen, seu habitum præter intellectum ipsum, et species.

V. At vero pater Suarez hic disput. xxix, sect. III, supponens, quod hæc scientia est lumen, seu habitus distinctus a speciebus, existimat non esse dividendam per plures habitus, sed esse unum habitum tantum; et citat pro se D. Thomam in III, distinct. XIV, art. III, quæstiuncula IV, ubi id expresse docet: et in hac quæstione, articulo sexto ad tertium, ubi tamen id non docet. Et fundamentum est, quia si distinguerentur isti habitus scientiæ infusæ, maxime ut dicit sanctus doctor in sexto articulo, propter diversa

genera scibilium, quæ diversos habitus postulant; hæc autem non sufficiunt distinguere diversos habitus et diversa genera scibilium in ratione luminis infusi, et si consideretur tanta diversitas, quanta est inter objecta naturalia, et supernaturalia; etenim res naturales cognoscuntur per hanc scientiam, ut subsunt lumini supernaturali, et per species supernaturales, ut supra diximus; ergo quantum ad rationem formalem sunt ejusdem rationis cognitio objectorum naturalium, et supernaturalium, si quidem utraque cognoscuntur modo, et medio supernaturali. Omnis autem distinctio scientiarum sumitur ex diversa ratione formali sub qua res redduntur diversimode scibiles; ergo si conveniunt res naturales, et supernaturales in eadem ratione formali cognoscendi, scilicet luminis supernaturalis, non est aliqua ratio distinguendi istos habitus.

VI. Et confirmatur exemplo fidei, et charitatis, quæ quia versantur circa objecta sua sub altiori motivo, scilicet supernaturali, non distinguuntur penes diversas res, quas attingunt, sed unicum lumen sufficit ad omnia credibilia; ergo et unica scientia ad omnia scibilia lumine supernaturali. Similiter hoc lumen est altius lumine angelico, utpote superioris ordinis; ergo poterit sub unica ratione superioris ordinis complecti omnia objecta, quæ pertinent ad lumen angelicum, et quæ pertinent ad ordinem supernaturalem, sicut lumen intellectuale superius unit sub unica ratione superiori ea, quæ pertinent ad intellectus inferiores, et sensus superior ea, quæ pertinent ad sensus inferiores.

VII. Nihilominus contra patrem Vazquez dico primo: Necessarium est ponere lumen, seu habitum dis-

tingtum a speciebus infusis in hac scientia, ut mediante illo tamquam virtute elevante intellectus supernaturaliter intelligat. Hæc conclusio est communior inter Thomistas; de qua videri potest Cajetanus supra, et super articulum sextum hujus quæstionis; Medina hic; Cabrera super hunc articulum disp. IV; Suarez disp. xxix, sectione II; Lorca super hunc articulum, VI, disput. LI. Et elicitur ex D. Thoma, tum in hac quæstione, tum in prima secunda, quæstione LIV, articulo quarto, quem locum nullo modo possunt adversarii evincere.

VIII. In hac quidem quæstione, quia probat articulo quarto, quod scientia indita animæ Christi est excellentior scientia Angelorum, quia lumen spiritualis gratiæ est in Christo excellentius lumine angelico; ergo supponit in hac scientia aliud esse lumen, quam species, quia ex parte specierum dicit in articulo sexto, quod sint minus universales, quam species Angelorum; ergo quando dicit, quod ex parte luminis est perfectior scientia Angelorum, intelligit lumen esse quid distinctum a speciebus.

IX. Similiter articulo sexto, solutione ad tertium docet, quod lumen infusum divinitus, est communis ratio intelligendi ea, quæ divinitus revelantur, sicut et lumen intellectus agentis eorum, quæ naturaliter cognoscuntur, et ideo oportet esse in anima Christi proprias species singularium rerum ad cognoscendum cognitione propria unumquodque; et secundum hoc oportuit esse diversos habitus scientiæ in anima Christi, ubi præter species infusas docet poni lumen divinitus infusum, quod est ei ratio communis intelligendi.

X. Cæterum non videntur ista loca plene convincere intentum. Nam in articulo quarto non distinguit S.

Thomas, inter lumen et species, sed dicit scientiam Christi esse excellentiorem scientia Angelorum ex parte causæ influentis, et minus perfectæ, seu universales ex parte modi recipientis: constat enim quod illæ species clarius, et efficacius repræsentant, quam species Angelorum, cum sint supernaturales, et D. Thomas solum ex modo connaturali animæ, cui infunditur, colligit esse minus universales, quam in Angelis. Non ergo ex hoc loco colligitur, quo scientia sit lumen distinctum a speciebus.

XI. Et quando addit ibi D. Thomas: « Quod lumen spiritualis gratiæ excellentius est in Christo, quam in Angelis, » non convincit loqui de lumine scientifico distincto a speciebus, quia lumen gratiæ etiam comprehendit ipsas species supernaturales: in secundo autem loco quando dicit: « Quod lumen divinitus infusum est communis ratio intelligendi ea, quæ divinitus revelantur, » non loquitur de habitu scientifico distincto a speciebus, sed de ipsa ratione quasi scientifica, et communi ad omnem cognitionem supernaturalem. Descendendo autem ad particulares, et specificas cognitiones, dicit quod indigent propriis speciebus ad cognoscendum res cognitione propria, et secundum hoc dantur diversi habitus: loquitur ergo de habitibus pro speciebus, non pro lumine a speciebus distincto.

XII. Quare ista loca ut efficacia sint debent roborari ex loco citato primæ secundæ, ubi sanctus doctor agnoscit habitum scientiæ distinctum ab speciebus; unde consequenter in hoc articulo cum agit de scientia infusa loquitur in eodem sensu, quo ibi locutus fuerat de scientia. Ibi autem fatetur, quod scientia est unus habitus simplex, etiamsi ad multa se extendat, taliter quod ge-

nerato habitu per demonstrationem, si adveniat nova demonstratio, non acquiritur novus habitus, sed præcedens fit perfectior: sed constat plures species diversorum objectorum requiri ad unam scientiam, quæ species non sunt una simplex qualitas, et quando acquiritur nova demonstratio novæ species acquiri possunt repræsentantes nova objecta; ergo non potuit D. Thomas intelligere, quod scientia esset una simplex qualitas, etiamsi se extendat ad novas demonstrationes, nisi intelligendo quod est distincta a speciebus, si quidem istæ species sunt plures qualitates, quare recte nomine scientiæ intelligit S. Thomas qualitatem, seu habitum distinctum a speciebus.

XIII. Aliud fundamentum sumitur ex doctrina D. Thomæ 1 part. quæst. XII, artic. II et V, ubi requirit ad videndum Deum, præter essentiam divinam per modum speciei impressæ, lumen aliquod confortans potentiam, et dans illi virtutem, et proportionalitatem ad utendum essentia divina tamquam specie; ergo supponit S. Thomas solam speciem cum intellectu, non sufficere ad scientiam, seu cognitionem habendam, sed requiri aliquod lumen per modum virtutis ex parte potentiæ; ergo fundamenta, quæ affert Vazquez de visione beatifica omnino sunt contra D. Thomam.

XIV. Nec exponit sanctus doctor, quod requirit similitudinem ex parte objecti distinctam a lumine, loquendo de similitudine expressa, non impressa. Etenim S. Thomas in illa quæstione XII, articulo secundo loquitur generaliter de his, quæ requiruntur ad omnem visionem tam sensibilem, quam intellectualem, scilicet specie, et virtute; sed in sententia D. Thomæ visio sensibilis non fit per similitudinem expressam, ut constat ex quæstione octava de ve-

ritate, articulo V, et opusculo XIV, et aliis multis locis: ergo loquitur de specie impressa.

XV. Et certe mirum est, quod nolint isti auctores concedere, quod divina essentia gerit vicem speciei expressæ, et tamen quod D. Thomas, licet ibi ponat essentiam divinam uniri per modum formæ intelligibilis præter lumen requisitum ex parte potentiæ per modum virtutis, dicunt dixisse, et intelligendum esse de forma intelligibili per modum speciei expressæ, et non impressæ.

XVI. Denique fundamentum pro hac sententia contra Vazquez ex hoc sumitur, quod repræsentatio specierum, licet determinet intellectum ad cognitionem objecti, non tamen præbet intellectui inclinationem, et determinationem ad utendum speciebus, et ordinandum illas; hæc enim duo ad scientiam exiguntur, assimilatio ad res, quæ fit per speciem, et determinatio, seu virtus ad discernendum, quæ fit per habitum, ut bene Cajetanus notat 1-2, quæst. LIV, art. IV: et in supernaturalibus habitus iste reddit potentiam proportionatam ad utendum speciebus; non ergo est sufficiens principium species sola in intellectu sine lumine superaddito.

XVII. Antecedens sic probatur, et explicatur, nam in scientiis acquisitis intellectus de se est potentia indifferens ad eliciendum actum talis, vel talis scientiæ, verbi gratia, philosophiæ, aut mathematicæ, vel metaphysiæ, nec sufficienter determinatur per species ab objectis desumptas, si quidem etiam ipsæ species indifferentes se habent ad hanc, vel illam scientiam; eadem enim specie repræsentante corpus, aut quantitatem utitur philosophia, et mathematica; neque enim aliam speciem corporis habet mathematicus, aliam philosophus, alioquin non possent in eodem subjecto esse

simul philosophia, et mathematica, si non posset eadem specie corporis utraque uti, sed unaquæque haberet suam speciem seorsum; non enim distinguerentur illæ duæ species corporis nisi numero, cum repræsentarent idem objectum, et sic non possent esse simul in eodem subjecto. Requiritur ergo aliud principium determinans ad scientias præter species, nec sufficit sola specierum ordinatio, nam ordinatio passiva in ipsis speciebus supponit principium activum ordinans; intellectus autem cum sit de se indifferens ad ordinandum hoc, vel illo modo, non potest sine aliquo principio superaddito determinate ordinare species, sicut requiritur ad talem, vel talem scientiam; et licet intellectus quando primo scientiam acquirit, per seipsum ordinet illas species in prima demonstratione, tamen in hoc patitur difficultatem, et vix potest unam, vel alteram demonstrationem facere, et species disponere, et quanto magis illis utitur, tanto magis facilitatur; ergo acquirit per hanc consuetudinem aliquod, quo facilius disponit, et ordinat species, et hoc vocamus habitum, qui est qualitas per modum virtutis superaddita intellectui ad operationem ipsam facilius, et prompte faciendam.

XVIII. Denique in supernaturali cognitione, et iudicio id melius apparet, nam intellectus non solum debet habere species repræsentantes res supernaturales, aut modo supernaturali, sed etiam virtutem proportionantem intellectum ad utendum illis speciebus, et iudicandum de illis; licet enim possit aliquando sufficere lumen supernaturale sine speciebus supernaturalibus, quia sufficit quod lumen supernaturale ordinet, et disponat species naturales modo supernaturali, et sic utatur illis, sicut fit in lumine fidei, et idem